ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Juste mecum expostulas, Illustris atque Nobilissime Hugeni, cum a conditionali ratione ordiris, inquiens; si vales, male est, quod promissa non impleas. Si enim mirabilis est conjunctio, ut vulgo dicitur: sane tam mirabilis est, ut tibi de tempore respondeam: Si valuissem, promissis implendis non defuissem. Nunc ergo qui valeam audi. Quarto recidivam passus sum. Tertio convalui: quartam autem hac vice qui convalescam adhuc non video. Ita enim et [illegible], et cacochymia, praedominante bile me susque deque cruciant, ut angustiae sint undique: quas nec diaeta accuratissima superare valeo; praecipue dum canicula ardentioris solis injurias, in corpus humoresque desaeviendo, auget. Unde contrariarum qualitatum lucta acerbissima nec quietem permittit laboranti. Tantum abest ut aliquid valeam, vel aliquid libeat, ut potius exclamem cum divino orientis philosopho: Tolle animam meam vitam meam. Accedunt phlegmone, scirrhus, abscessus, anthrax, et nescio quid non malorum successive pullulare. Alii a vita sedentaria, alii a nimiis studiis caussam statuunt: ego vero ab incommodis adolescentiae, et injuriis itinerum frequentissimis, et vigiliis ad plusculas noctes studiorum gratia productis omnia oriri autumo: maxime cum exercitatio corporis rarior nunc sit ad exhauriendos humores; imo vehementia quaevis exercitia ferre nequeam. Nec libet remedere: potus vero omnis ac quicunque allubescit, et sapit: sed non semper conducit, et plerumque obest. Ita misere vivo: vel medice vivo, quia misere vivo. Nec deest animus studiis, et praecipue musicis, si vires suppeterent et sanitas. Ego quidem jam dudum meditabar literas ad te valetudinis meae indices: sed postea videbatur importunam fore malorum meorum narrationem: quae praeterquam tuis votis non satisfaceret, insuper et taedium oblectationis loco afferre posset. Vortio itaque rem commisi, ex cujus relatione forte nunc a conditionali valetudinis meae statu exorsus es. Caeterum quantum me languentem litera tua cum transmissis libris ex una parte recreaverint, et ex altera parte perculerint, explicare

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 14
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2827

satis nequeo: cum me tui observantissimum longior remora affatim excruciet; et (Musicae studiosissimum Domi novissimus foetus (prioris enim dudum habui) ad laborem excitet. Video animum in re mala bonum, imo optimum. Sed replicat mihi non-nemo.

Tu nihil invitâ dices faciesve Minervâ.

Fateor serviendum est naturae, tempori, et scenae. Serviendum est, quia scena inofficiosissima. Sed vellem tu ista meum expo-scere velles: ut morbum hunc, aliosque succedaneos, eorumque radi-ces funditus evellas. Vale vir Nobilissime, et Bannio tuo satisfacienti compatere. Harlemi XIII Kal Septembr. CIↃ IↃC XLI.

Tuus servus

J. Alb. Bannius

1641

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 14
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2827

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 14
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2827